

sed Deus, & creatura conveniunt in conceptu entis realis: quia utrumque est vere, & proprie, ac quidditative, ens: differunt autem propriis conceptibus: ut patet: quia non est idem conceptus Dei, & creaturae: ergo conceptus entis est alius a conceptibus Dei, & creaturae, illisque uniuocus, ac quidditativus.

Tertio, ens predicatur de Deo, & creatura, secundum nomen, & rationem: ergo est illis uniuocum: antecedens patet: nam haec sunt quidditativa, & in primo modo. Deus est ens: creatura est ens: substantia est ens: Accidentis est ens: ergo secundum nomen, & rationem, ens predicatur de illis: ergo, &c.

Dices: praedicationem istam esse analogam cum ordine quoddam prioris, & posterioris.

Contra: ordo iste est posterior, & modus quiddam rationis, seu conceptus, qui predicatur: ergo non variat rationem illius: ergo, si ratio illa est eadem in inferioribus: licet sit per prius, aut posterior: erit uniuoca.

Quarto, obiectum scientiae realis debet esse uniuocum: sed ens reale, ut commune Deo, & creaturis, substantiae, & Accidentis, est obiectum Metaphysicae, per Aristot. 4. Metaph. tex. 1. ergo.

Si dicas, semper proteruendo esse Analogum.

Contra: vel est Analogum, cui respondet una ratio realis: vel non: Si hoc secundum: ergo ens est purum uniuocum: quia nomen, cui a parte rei non respondet aliqua ratio communis, uniuocum est: si primum: ergo est uniuocum: quia diuersitas participandi illam rationem non tollit uniuocationem.

Præterea: isti similitudini analogicae, quam assignas, vel respondet a parte rei aliqua una ratio: vel non: si hoc secundum: ens est uniuocum: quod negas: si primum habetur intentum. Maxime, quia Analogia non destruit uniuocationem: ut dicemus.

Quinto, sic ad hominem argumentor: per vos, ens predicatur quidditative de omnibus suis inferioribus: in illisque quidditative includitur: ergo predicatur uniuoce de illis: patet consequentia: nam predicari quidditative est predicare eandem quidditatem de omnibus, in quibus est: sed quidditas, quae est in multis, & predicatur de illis, est uniuoca: ergo entis quidditas erit uniuoca. Alias rationes vide apud Doctorem in primo, dist. 8. & apud alios Scotistas.

3. Conclus.

Dicendum tertio, conceptus entis obiectiuus, quem ponimus uniuocum Deo, & creaturis, est vnus realiter realitate obiectiua: modo in not. 4. explicato. Hanc existimo esse Doctorem ut supra lit. Z. eamque probat eius Discipulus Antonius Andreas 1. Metaph. quaest. 1. multis argumentis.

Primo, omnis conceptus, qui predicatur in quid de aliquibus, praedicatione dicente, hoc est hoc: est vnus conceptus realiter: sed conceptus entis est huiusmodi: ergo est vnus realiter. Maior est euidens: quia oppositum praedicationi inserti oppositum subiecti: dato enim, quod non sit vnus realiter, non praedicationem in quid de pluribus:

nullum enim ens rationis predicatur de ente reali essentialiter, & in quid. Minor probatur: quia illud predicatur in quid de aliquo, per quod respondetur ad quaestionem factam per quid de eo: ens est huiusmodi: quia si quaeras, quid est Deus: vel quid est creatura: respondetur, quod est ens: ergo ens predicatur realiter de illis: ergo conceptus entis est vnus realiter.

Dices forte: quod ens non habet communem aliquam realem, sed solum quantum ad quandam indifferentiam concipiendi: & cum dicitur, quod predicatur in quid, non est intelligendum: quod sit aliquid commune reale, quod predicatur in quid de pluribus: sed sub vno modo concipiendi continentur plures res, quarum quilibet predicatur de hoc, & illo, seorsim: puta realitas Dei contenta sub vno modo concipiendi ens in communi predicatur de Deo: & realitas creaturae contenta sub alio modo concipiendi ens in communi predicatur de creatura.

Sed contra: quia si ita esset, tunc praedicationis entis de Deo non esset praedicationis superioris de inferiori, sed eiusdem de seipso: nam praedicationem esset realitas Dei concepta: quod nullus concedet.

Secundo, vnus potentiae realis vnus est obiectum adaequatum reale: sed ens commune Deo, & creaturis, est primum obiectum intellectus, ex Auicena primo Metaphysic. cap. 5. dicente: ens enim, & res, prima impressione imprimuntur in anima: ergo ens sic commune est aliquid vnus sed non vnus secundum rationem: ergo vnus realiter. Probo minorem: nam obiectum potentiae praecedat naturaliter actum potentiae: ergo non est vnus per intellectum: quia in illo priori, quo est obiectum, est aliquid vnus.

Tertio, circumscripso omni intellectu, Deus, & creatura, habent aliquam conuenientiam: quia plus conueniunt, quam ens, & nihil: ergo illa conuenientia est realis: ergo fundamentum talis conuenientiae debet esse reale: quia nulla relatio realis potest, nisi in ente reali fundari: sed tale fundamentum est vnus: quia est relatio de primo modo relatiuorum: ergo Deus, & creatura, habent aliquam vnitatem realem, in qua conueniunt: sed illa est vnitatis entis: ergo talis conceptus entis est vnus realiter.

Quarto, intellectus intelligens ens commune Deo, & creatura, aut est verus, aut falsus: si falsus, nihil ad propositum: si verus: ergo sic oportet esse a parte rei, quod aliquid realiter sit commune: tunc enim intellectus est verus, quando intelligit, sicut se habet in re, ex 9. Metaph. cap. vltimo.

Vltimo: quia aliter vniuersalitas transcendens entis esset quoddam fictitium, ut chimera: nisi in intellectu a parte rei moueretur ad abstrahendum aliquid vnus commune. Vnde oportet: quod omni vnitati alicuius veri conceptus in quid cor respondeat aliqua vnitatis realis.

Obijcies primo, cum doctis imo Bargio in primo, dist. 8. quaest. 2. fol. 180. nostram conclusionem negante: illa realitas obiectiua, si sit a parte rei, semper intelligitur potentialis, & extrahibilis: ergo compositio, & imperfectio in Deo.

Secun.

Secundo, sequitur ex nostra conclusione: quod aliquid ex natura rei potest esse contradictioe intelligi prius Deo: & ita Deus non erit prima entitas simpliciter ex natura rei: quod est maximum inconueniens. Patet consequentia: quia ens predicatur de Deo, tanquam superius de inferiori: sed superius est prius inferiori, prioritate naturae: valet enim: Deus est ens: sed non e contra: ergo si ens dicit realitatem obiectiuam communem Deo, & creaturae: talis realitas erit prior Deo.

Ad primum dico: quod licet gradus entis in Deo praetelligeretur in aliquo priori reali naturae ad infinitatem, adhuc non esset potentiale respectu illius, sed solum quid contrahibile: omne enim potentiale est contrahibile: sed non e contra: concedere aliquid contrahibile in Deo non est inconueniens: ut patet in essentia respectu relationum, ad constituendas personas, quae respectu illarum se habet veluti quoddam determinabile. Ceterum quia hoc non bene sonat, nego totum enthymema: nam conceptus entis, quem ponimus realem, desumitur a gradu entis reposito in creatura, qui in aliquo priori est simpliciter prior finitate, & quia uniuocatio, quam assignamus, tantum penes intellectum abstrahentem attenditur: inde fit, ut talem gradum in Deo sine infinitate percipiat. Quare licet gradus entis in Deo nunquam sit determinabilis: sicut est in creaturis: non impeditur conceptus entis a creaturis abstractus sit Deo communis: si enim per impossibile talis gradus non esset pro quocumque instanti in vltima actualitate, non minus ex se esset determinabilis: sicut est in creaturis: & tunc esset indifferens ad creaturam: sicut nunc in creatura est indifferens ad Deum: quod vero nunc in Deo non sit indifferens, non provenit ex parte sui, sed quia est ens infinitum infinitate originali: & quia est in vltima actualitate. Vnde si conceptus entis nunc abstraheretur a Deo, non esset ab aliqua realitate indifferens illi, & nobis, communis: sed a tota essentia Diuina, ut quid iustas perfectissima est, ac singularis: & ideo dicitur posterior Deo: licet quia sumitur ab entitate diuina quidditativa, dicitur prior Deo, & de eius quidditate. Vide Leuchetum in primo, dist. 2. quaest. 1.

Vlt. concl.

Ad secundum patet per idem: quod gradus entis in Deo non est prior infinitate, concipitur tamen a nobis tanquam prior: quia ex se non includit infinitatem: & hoc sufficit, ut conceptus entis abstractus a creaturis, sit illis, ac Deo, uniuocus: & ut haec praedicationis: Deus est ens: sit quidditativa, & in primo modo: ut docet Doctor in primo, dist. 8. & alibi.

Dicendum vltimo. Loquendo de uniuocatione, & equiuocatione Physica, ens reale est equiuocum Deo, & creaturis, substantiae, & accidentis: haec est communis: & patet: tum quia uniuocatio Physica in sola specie a thoma, quae in plura alterius rationis diuidi non potest, reperitur: tum etiam quia nullum genus, etiam vltimis speciebus proximum, est illis physice uniuocum: ergo multo minus ens, cum sit remotissimum a specie infima: igitur erit equiuocum physice.

Ad argumenta primae sententiae: ad primum dico: quod ad hoc, ut aliquis terminus sit equiuocus, requiritur: non tantum quod intentio significata per ipsum sit diuersa in diuersis, sed quod sit etiam diuersa, & multiplex, in intellectu: ens autem, licet sit diuersum in Deo, & creatura, substantiae, & Accidentis secundum esse, quod habet in effectu: non tamen est diuersum in intellectu, qui cum sit virtus abstratiua abstrahit ea, quae sunt inseparabilia in esse.

Ad 1. prima opinio nis.

Ad secundum, & ad tertium dico: quod loquuntur in sensu primae conclusionis: nam ens, Logice loquendo, non est uniuocum uniuocatione praedicationali, sed simpliciter equiuocum. Vel dicatur: quod per equiuocationem intelligunt Analogiam, quae cum uniuocatione comparatur: & quia ens non est uniuocum in primo, & secundo gradu: ideo ab illis equiuocum, seu Analogum appellatur.

Ad 2. & 3.

Ad quartum, nego minorem: ad probationem dico cum Doctore in primo, dist. 8. quaest. 3. lit. N. quod sapientia creata, & increata, conueniunt enti, ut est commune ad finitum, & infinitum: & ita conueniunt in ratione formali sapientiae, quae est cognitio altissimarum causarum.

Ad quartum.

Ad argumenta secundae sententiae respondeo: Ad primum, & ad primam autoritatem: quod ens non dicitur uniuoce ea uniuocatione perfecta, qua species dicitur de suis indiuiduis; neque equiuoce: sed medio modo: ea, scilicet, uniuocatione, quae maiorem, & minorem perfectionem in sibi uniuocatis admittit. Ad secundam autoritatem dico: quod sanum dicitur de sanis non pue Analogice; sed Analogice uniuoce: quia Analogia cum uniuocatione reperitur: & ita de de ente dicendum est.

Ad 1. 2. sententia.

Ad secundum respondeo cum Petro de Aquila in primo, dist. 3. quaest. 1. negando maiorem: nam Sol producit plantam, quae non habet similem formam cum Sole: & tamen in substantia uniuocatur. Vnde si maior aliquomodo est vera, solum est respectu uniuocationis specificae, & realis, sed physicae: qualis non ponitur uniuocatio entis.

Ad secundum.

Ad tertium patet per idem: concedo enim quod illa, quae non habent consimilem modum essendi, non uniuocantur Physice: bene tamen Metaphysice, & transcendentem. Quomodo autem domus in mente, & domus extra, uniuocantur secundum quid, vide Doct. quaest. 4. prologi in fine.

Ad tertium.

Ad quartum patet ex dictis: nam gradus entis non predicatur de Deo, tanquam realitas reposita in ipso prior ipsa Deitate: sed predicatur secundum conceptum abstractum a creaturis: & talem conceptum esse simplicissimum, quo nihil sit simplicius: nullum est inconueniens. Quare distingo minorem: nihil est Deo simplicius subiectiue: concedo obiectiue: nego minorem.

Ad quartum.

Ad quintum, distingo maiorem: de uniuocatione praedicationali concedo: de uniuocatione transcendentem; nego maiorem: nam secundum istam non requiritur, ut uniuocata parificentur in omnibus: sed solum in ratione illa, in qua uniuocantur.

Ad quintum.

Ad



Ad sextū. Ad sextū dico: cōclusionē esse verā: ad probatiōne oppositi dico: quod in 2. Metaph. tex. 2. habetur: quod in diffinitione Accidētis ponitur substantia: quod intelligitur de diffinitione Accidētis; vt Accidens est: non verō, vt ens est: nā Accidens, vt sic, tantum respicit ens; & æqualiter entis quidditatem participat.

Ad septimū. Ad septimū distingo minorē: non intelligitur Deus perfecte, vt Deus est, cōcedo: vt ens est: nego minorē: nā eo modo, quo intelligitur gradus entis, vt sic, in creaturis, intelligitur etiam in Deo: & vbiūque reperitur.

Ad octauū. Ad octauū, nego minorē: ad probatiōne dico falsissimū esse, quod a sumitur: periret enim omnis causalitas vniouca contra cōmunem Phylōsophiā: homo enim generat hominē sibi similem vniouce in humanitate: & tamē non generat seipsum, nec suā humanitatē producit: ita similiter, licet Deus producat gradū entis creati, in quo eū creatura vnioucat; non inde sequitur, producere suam propriam entitatē: producit igitur Deus gradum entis simile suo gradus; non tamen producit suum gradum entis.

Ad nonū. Ad nonū Doctoris dico: quod Deus, & creatura, sunt primo diuersa in realitate prædicamēta li; nō vero in transcendentia: sicut materia, & forma, sunt primo diuersa in realitate prædicamēta li secundū Doct. in 2. dist. 12. cōueniūt tamen in realitate entis; vt ipse vult in 1. dist. 3. q. 3. circa mediū. Vel aliter: quod sunt primo diuersa in realitate subiectiua; non vero in realitate obiectiua, & conceptibili.

ARTIC. III.

An ens reale possit secundam intentionem generis fundare?

EX secūda cōclusionē nostra in Articulo præcedēte posita ortum habet Articulus præsens; & pro parte affirmatiua facit argumentū contra ipsam cōclusionē a Doctore cōfectū: quod sic se habet: si ens esset vnioucū ad Deū, & creaturas, substantiam, & Accidens, haberet omnia, quæ Porphyrius desiderat ad rationē generis: ergo si secundū Doctore est vnioucū, erit genus: patet antecedēs: nā ad rationē generis hæc duo desiderantur a Porphyrio: quod genus dicat vnam rationem communem, & præcisam, secundum quam prædicetur de pluribus specie differentibus: sed admissa vnioucatione, ens diceret vnam rationem communem, & præcisam a suis modis inferioribus: alioquin absque hac præcisione vnioucatio perfecta consistere non potest, & aliās secundum Doctorem ens nominaliter sumptum de suis inferioribus prædicatur, ergo est genus ad illa.

Secundo, ens habet differentias, per quas legitimē contrahitur: ergo est genus: antecedens probat: nam ens contrahitur per finitū, & infinitū, tanquā per modos: sicut animal pro rationale, & irrationale: ergo sicut hoc est genus, ita & illud: nam modi sæpe vices differentiarum supplēt.

Tertio, ens prædicatur in quid de pluribus, & non prædicatiōne speciei: ergo prædicatiōne generis: minor cum consequentiā patet: nam prædicatiō in quid tantū in his duobus Prædicabilibus reperitur: maior autē est Doctoris, & ab omnibus tanquam vera recipitur: ergo, &c.

Pro intelligētia notandū: quod ad hoc, vt ali-quod prædicatū dicatur genus, duo requirūtur: primū; quod sit limitatū: id est de rebus vnius generis, & nō diuersorū, prædicetur in quid: hoc est per modū potētiālis, & contrahibilis per realitates differentiarū; ex quibus simul cū ipso fiat vnu cōpositū ex actu, & potētia. Secundū: quod licet de suis inferioribus in recto prædicetur; nō tamē de differentijs cū ipso inferiora componentibus; nec in illis realiter includatur.

Dicendū: ens reale nominaliter sumptū nō potest secundā generis intentionem fundare. Hæc est cōmunis cū Doctore in 1. dist. 8. q. 3. & dist. 3. q. 3. lit. N. & probatur ex defectu conditionū ad genus requisitarū: tum: quia ens reale prædicatur de rebus generū diuersorū: quia nō est in potētia ad verā realitatē: nā modi intrinseci, per quos determinatur, nō sunt veræ realitates cū ipso aliquod totū cōponentes: tū etiā quia in vltimis differentijs quidditatiue includitur: quod vero generi alienū est: animal enim nō prædicatur quidditatiue de rationali, & irrationali: ergo cū ens has conditiones non habeat, non potest esse genus: etiam si vnioucū sit.

Ad primū argumentū: nego antecedens: nam ad rationē generis nō sufficit, vt sit vnioucū, & quod de pluribus quidditatiue prædicetur: sed vltra hoc requiritur, vt talis vnioucatio nō sit transcendens; sed prædicamēta li: & quod prædicetur immediate de pluribus differentijs specie; & non mediāte, & remote: vnde cū ens sit vnioucū vnioucatione transcendente; & remotissime de differentijs specie prædicetur: nā prius defecit in ens finitū, & infinitū; & in decem Prædicamentis: ideo ratione generis caret.

Ad secundū, nego antecedēs: ad probatiōnem dico: quod modi intrinseci entis nō sunt realitates sufficētes ad induendā differentiarū rationē: quia differentia semper sumitur ab aliqua realitate formali potēte cum genere vnum per se cōponere: modi autem intrinseci entis, nec sumuntur ab aliqua forma; nec vnum per se cum ente componunt, quod sit vere ex rebus, seu ex realitatibus cōpositum: & ideo vices differentiarū sortiri nequeunt. Vide Doct. in 1. reportatiōnū dist. 25. quæst. 2. ad secundum.

Ad tertium, distingo maiorem: prædicatur in quid, tanquā prædicatū prædicamēta li: nego: tanquam prædicatū transcendens: cōcedo maiorem: & in hoc sensu intelligitur Doctore in 2. de Anima; & vbiūque asserit ens esse vnioucū Logice suis inferioribus: loquitur enim de vnioucatione Logice transcendenti; & non prædicamēta li. Si hoc autem sit contra Arist. in 1. Topicorum hoc prædicatū transcendens non enumerantem; vel non sit contra ipsum: Vide Doct. in primo, distinct. 8. quæst. 3. lit. S. Aristotelem explicantem.

3. Argum.

Notandū.

Conclus.

Ad primū

Ad secundum.

Ad tertium.

ART.

ARTIC. III.

An ens prædicetur quidditatiue de omnibus per se intelligibilibus?

HANC difficultatem tangit Doctor in præsentis argumento tertio, & quarto, ad oppositum: clarius tamen eam disputat in primo; distinct. 3. quæst. 3. lit. F. ex cuius mente omnes fere eius discipuli, ac etiam Thomistæ, tanquam verum deducūt; ens reale non prædicari vniouce quidditatiue de suis proprijs passionibus; nec de vltimis differentijs; modis intrinsecis; nec de Hæcceitatibus; & alijs huiusmodi: quæ sententiā, tanquam de mente Doctoris probatur primo. Si differentia vltimæ includunt ens vniouce: & in quid dictum de eis; & non sunt omnino idē: ergo sunt diuersa aliquid idē entia: sed talia sunt proprie differentia ex 5. & 10. Metaph. ergo differentia vltimæ proprie erunt differentes: ergo alijs differentijs differuæ: & de illis idem conficiatur argumentū, donec steterit ad aliquam, quæ ens quidditatiue non includat.

1. Senten.

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

includunt aliquem communem; aut nullum: si nullum habetur propositum: quia erit dare duos conceptus, per se determinabilem, & per se determinantem, qui sic se habent; quod per se determinabilis nihil includit ipsius per se determinantis; nec e conuerso: si includit aliquem conceptum communem; idem conficio argumentum vsque in infinitum, donec concludatur intentum.

Quarto probatur, quod ens de suis passionibus non prædicatur in quid: passio prædicatur per se secundo modo de subiecto ex primo Post. cap. 9. ergo subiectum intrat diffinitionem passionis; sicut additum: ex eodem primo, & ex 7. Metaph. tex. 17. & 19. ergo ens in diffinitione suæ passionis cadit, vt additum: ac per cōsequēs, non est de ratione quidditatiue eius.

Confirmatur, per Phylōsophū primo Post. cap. de statu Principiorum; vbi vult; quod prædicatiōnes per se non conuertuntur per se; sed per accidens: hæc autem est per se in secundo modo: ens est vnum; ergo hæc erit per accidēs: vniū est ens: igitur.

Quinto, ens sufficienter diuiditur quidditatiue in ens increatum, & in decem genera: igitur passionēs entis sub aliquo istorum continebuntur, si ipsa ens quidditatiue includunt: sed non continentur sub ente increato; vt patet: nec sub decem generibus: quia tunc essent species limitatae per consequens non possent Deo conuenire: quod est falsum: tum quia sunt transcendētia; tum etiam quia sunt perfectiones simplices; & conueniunt Deo in summo.

Sexto, accipio vnam passionem entis: & inquirō; an cōceptus eius includat præcisē, & adæquate, cōceptum entis: aut aliquid aliud ab eo: si primo modo: tunc idem erit passio sui ipsius: & cū passio sit naturaliter posterior suo subiecto; idem respectu sui erit prius, & posterius, seipso; quod est impossibile. Si secundo modo: quæram de illo si includat præcisē cōceptum entis: aut aliquid aliud; & fiat idem argumentū, sicut prius: donec concedatur, quod ens nō includitur quidditatiue in sua passione; vt eius passio est.

Secunda sententia est opposita præcedenti, quam tenet D. Thom. primo contra Gentiles, cap. 25. & de verit. quæst. 7. art. 1. & Quodlib. 2. art. 7. & 1. p. quæst. 3. art. 4. quæst. 4. art. 3. ad 1. & quæst. 5. art. 1. Caiet. de ente, & essentia cap. 1. Sōzinas 5. Metaph. quæst. 14. Fonseca 4. Metaph. quæst. 4. cap. 2. Suárez in Metaph. disput. 2. sect. 5. Soto in Antepredicam. cap. 4. estque communis apud Thomistas cum Henrico Quodlib. 15. quæst. 2. & Quodlib. 13. quæst. 9. & multipliciter probatur.

Primo, ens, & nihil, opponuntur cōtradictorie: ergo quod non est nihil, est ens: sed nullum per se intelligibile est nihil: ergo omne per se intelligibile est ens: sed differentia vltimæ, & cetera, de quibus agimus, sunt per se intelligibilia: ergo sunt per se ens: igitur, &c.

Secundo, rationalitas, quæ est vltima hominis differentia, est quædam entitas: aliās esset quædam nihilitas: Ex quo sciomnis prædicatiō in abstracto est essentialis: quia facta abstractione vltimata; non remanet, nisi essentia rei: ergo ensitas

4. Argum.

Confirm.

5. Arg.

6. Argum.

2. Senten.

1. Argum.

2. Arg.